



\* \* \*

Vicimus! asseruit sese, rupitque catenas  
Mortis et inferni, Servator, nec genus ultra  
Serviet humanum, quod dura compede vinctum,  
Indigna vinctum Servator compede solvit.  
Qualis, ubi Andromedam, Perseus, materna luentem  
Crimina, et ad duras religatam in littore cautes,  
Aspexit miserans, clypeo confisus et ense,  
Pone metum, Virgo: non es sine vindice, dixit;  
Nec mora, congreditur, monstrique per ilia ferrum  
Exigit: illa ferae, mortique erepta, catenis  
Solvitur, et dominum Servatoremque salutat.  
Nec capit attonitus sua gaudia, Persea Cepheus,  
Persea Cassiope, victorem Persea virgo  
Libera conclamat: responsant Persea rupes.  
Haud aliter leto felix, celebrisque triumpho  
Servator gentem humanam miseratus, et usque  
Lumina, quod poterat, longo liventia fletu,  
Tollentem in coelum, iamque ultima pene ferentem,  
Atque veni, Vindex, clamantem, et multa voventem,  
Servitio et vinclis, luctuque exemit acerbo.  
Ardua res hominum vires transcendere visa,  
Quaeque nec Atridas fortes, pugnaeque scientes  
Posceret Aeacidas, ast ipso numine plenum  
Vindicem et Heröem, tanto cognomine dignum.

